

circò volumus, quod Judices id prævenientes caveant, ne accusatis, seu captivis aliud, vel ante torturam, vel in torturâ proponatur, quàm in Articulis præcedentibus descriptum est. Vide *Goblerum hîc, & in auctario, ut & Zieritz. in notis ad nostrum præsentem Articulum, verb. præcedente suggestione.* Utrum Judex mendaciis à reo veritatem elicere possit? Consule *Vent. de Valent. in parthen. litig. lib. 1. cap. 14. num. 25. & ab eo allegatos Dd. magni ingenii virum Dn. Herm. Goëhaus. in sæpissimè citato tractatu adversus sagas, tit. 5. & in notis A. B. C. D. E. cum seqq.*

2. Patet ex hoc Articulo confessionem ipsi reo post diem unum atque alterum prælegendam, ejusq; responsionem ad eam inquirendam esse, *Steph. hîc, in fin.* Ad minimum verò necesse est, ut intercedat dies & nox post tormenta, *Zieritz. hîc, verb. uno vel altero die.* Eleganter *Joach. Scheplitz. in prompt. iur. Klamm. tit. 44. §. 5. a. ubi quoq; allegat art. 56 hîc.*

ARTICULUS LVII.

Confessionis revocatio.

1. Solent plerumq; delinquentes suam quæstionem rursus negare, & in contrariam sententiam vertere, quod si ex malo & malitiâ fieri comperiat, dabitur iterum quærendi necessitas, aliàs furca staret in viduitate, ut inquit *Prosper. Farin. de indic. & tort. lib. 1. tit. 5. q. 38. n. 91.* Quia fatui essent, si ratificarent, cum sciant, non ratificando se salvos evadere. Hinc Germani dicunt: *Wann man mit Lügen künde vom Galgen kommen / wûrde niemand gehangen.* Melius millies torqueri in brachiis, quàm semel in gulâ, *Iurga. Valent. Wûnth. de remed. abbr. lit. lib. 2. c. 12. num. 36. Herm. Goëhaus. in process. iurisd. de sagis, tit. 4. K.*

2. An reus semel tortus sine novis indiciis torqueri possit? De hac quæstione consule omninò *Scheplitz. d. loc. & allegat tit. 44. §. 3. a. num. 1. & b. num. 7. 8.* ubi eleganter hac de re differit, & varias Dd. refert sententias, & tradit quoque: An tormenta usque ad tertiam repeti possint vicem? Ego de binis istis quæstionibus statuo, primò torturam non repetendam, nisi nova superveniant indicia prioribus urgentiora. Ideoq; damnanda præctica totius Germaniæ torquendi reos sine novis indiciis. *Vent. de Valent. in parth. litig. lib. 2. c. 12. num. 36. Herm. Goëhaus. d. processu. tit. 4. A. B. ubi limitationes vid. bis, C. D. G.* Denique & secundò, reum ultra tertiam vicem torquere impium esse, *Vent. de Val. d. nu. 36. in fin. Metzg. consil. crim. 1. num. 43. in resol. de torturis, conclus. 197. Zieritz. hîc, c. 58. verb. frequenter & raro, dissentientes allegat; qui volunt reum bis tortum non posse denuò torqueri; & simul inquit in rationem numeri ternarii, & proponit singularem casum, qui de facto contigit: Quid si sub tertiâ vice torti brachio sinistro chartulæ sortilegæ deprehendantur? Certè ulteriorem torturam decernendam putavit. Confer *Steph. hîc, in fin.* qui huc pertinentia singulari cum diligentia tradit *art. 58. n. 5.* Vide *Dn. Goëhaus. d. tit. 4. I. K. & ab eo allegatos Dd.**

3. Quod si tamen reus ejusmodi revocationis causas in medium adferat,

rat,